

XVIII. de Pœnitentia p. m. 172. hæc sunt: DEus pro infinita sua bonitate & eos, qui ita lapsi sunt pessime, ad pœnitentiam revocat &c: Nobis sane non sunt contraria, cum idem doceamus contra Novatianos ex A. C. Artic. XII. Nec dissentimus a B. Schomero, quando pergit: Atq; toties in gratiam recipit, quoties serio ad ipsum convertuntur. Quis hoc negavit? Op. pono Censori verba B. Schomeri in eodem Collegio p. m. 125. Vocatio, quæ omnibus parabatur, sit particularis voluntate DEi consequente iudiciaria, vindicantis nempe protervum abusum luminis naturalis & morosam rejectionem gratiæ Evangelicæ. Inde nec ea, quæ Niehenckius ex Articulis Smalcaldicis aut D. Neumanno exscripsit p. 30, 31. nobis sunt contraria, cum pœnitentiæ conditionem invocant ut alibi jam demonstratum fuit sæpius. Itaq; Niehenckius hac repetitione committit ignorantiam Elenchi, quod ipsi & locis suis solenne est. P. 32 Peccatores in Sp. S. adhuc convertibiles statuit: Quia Christus etiam pro hoc peccato satisfecisset:

*Quodcunq; peccati nomen & naturam habet, pro eodem Christus satisfecit:*

*At qui peccatum in Sp. S.*

*Ergo.*

Resp. Observes *Monitum* & limitationem sæpius allatam: a.) Controversia hic nostra est, non de quæstione, an Christus pro peccato in Sp. S. satisfecerit; Sed an ex universali satisfactione pro peccatis præstita, dependeat convertibilitas totaliter induratorum? Hoc negamus; quia consequeretur inde, nullam dari desertionem DEi totalem, quæ convertibilitatem quorundam ex iudicio Dei tollit. Deinde distingvendum inter peccatum in Sp. S. *inchoatum*, & *consummatum*, pro illo satisfecit non autem pro hoc. Ratio est: Quia peccatum hoc consummatum ejus patratores trudit in statum gehennalem, ut D. Hanneckenius recte docet. In hoc autem nulla satisfactio locum amplius habet aut fructum exserere potest. Si enim satisfactio Christi eo extenderetur in hac Parte semper frustra esset, id quod absurdum est. V. D. Krom. Theolog. Posit. Pol. Artic. 8. p. m. 524. Quapropter limito Majorem Niehenckii:

*Quodcunq; peccati [remissibilis] nomen & naturam habet, pro eodem Christus satisfecit:*

*At qui peccatum in Sp. S. id habet:*

*Ergo:*

*Hic nego Minorem.* Nam B. D. Feuerbornius in Tract. de hoc pecca-